DE AVGVSTISSIMO Iacobi 6. Scotorum Regis, & ANNÆ FREDERICI 2. DANORVM Regis Filiæ conjugio: 17. Calend. Septemb. 1589 in DANIA celebrato:

GEORGIO SCOTIÆ Mareschallo, sui Regis vicem obeunte,

EPITHALAMIVM Ad eamdem Annam, Serenissimam Scotorum Reginam.

Hercule Rolloco Scoto auctore.

Edinburgi,

Excudebat HENRICVS CHARTERIS.

1589.

Ad Annam, ſereniſsimam Scotorum Reginam.

SEGNIVS irritant animum ſi immiſſa per aures,
Quam quæ ſunt fidis tradita luminibus:
Nata deinde animo, quæ rumpunt carmina vocem,
Ex penita vatum pabula mente trahunt:
Me cecinisse tuos hic orsum abſentis amores,
Indice quos animus ſegniter aure bibit,
Quem tibi poſſe putes præſenti aſſurgere vatem,
Ore, oculis, animo, quando videnda venis?
Ipſa mihi in numeros amnem dabis Anna perennem,
Et numeris vives Anna Perenna meis.

M. T. ſupplex famulus

H. Rolloc.

DE AVGVSTISSIMO

Iacobi 6. Scotorum Regis,

ET ANNÆ FREDERICI 2. DANORVM Regis filiæ, conjugio in DANIA celebrato 13. Calend. Septemb. 1589.

HERCVLIS ROLLOCI SCOTI EPITHALAMIVM.

PONE graves animi curas, nec voce marinam,
Et votis Venerem toties, alioſque Deorum
Anxius implora, Princeps Aquilonis, & Auſtro
Mox IACOBE jugum victor poſiture, periclis
Defuncta ut pelagi, fœlice per omnia curſu
Sponſa Caledonia tua fidat ſoſpes arena.
Deſine tot votorum, inquam, quæ nulla daturus
Non meritiſque tuis recipit gemituque tuorum
Iuppiter ille: animo tu tantùm fige tenaci
Tanti auctoris opes, gratoque amplectere cultu
Qui tibi contulerit toties tot munera cœlo.
Verũ enim ad humanas cùm a Dijs diſceſſeris artes,
Auſpice quid metuas magno, quidni omnia ſperes
Mira Mareſchallo? tibi qui Paranymphus, & alti

Pectoris interpres, vigili ſudore, ſagaci
Ingenio, dubijſque animo præſente, miniſtrat
Rem quà Regis honos, Regni quà cõmoda poſcunt.
Ille etenim nulla par quamvis parte fatetur
Laudibus eſſe tuis: tam te fœliciter oris
Majeſtate refert, & viva eſt Regis imago:
Livore invito, peregrinæ argutia gentis
Diſcat ut a famulo dominũ, quaſi corpus ab umbra.
Interea memori abſentem te pectore volvit
Nympha, novo primùm jam tacta Cupidinis œſtro:
Inſueraſque faces, & cœcæ cuſpidis ictus,
Poſſe ſtupet caſti penetrare in caſtra pudoris:
Ardenteſque artus, atq; ora rubentia, & æſtum
Teſtantes animi gemitus, rationis habena
Dum cohibere parat, luctando laſſa, labori
Ponit amans finem, & tradit tibi ſcilicet uni
Vinctas victa manus: ſimul hoc ſolamine mulcens
Curam inſultantem, Herois quod cedat amori
Illius, intactum Pallas cui ſolvere ceſtum
Haud metuat: niveos ſeu pulchri corporis artus,
Sive animi inſignes generoſo in pectore dotes,
Debita ſeu ſpectet gemini diademata regni.
Nec te, ardore pari cupidum, fax mitior urit,
Vndiq; quam circùm tua tundens littora Nereus,
Non potis eſt omni victam teſtringuere lympha:
Sola poteſt Nymphe, quæ prima incenderat auctor,
Pelias vt domuit quem fecerat haſta dolorem.
Hoc longinqua tamen, ſolaſque recepta per aures,
Figere Fama loquax potuit ſi vulnere mentem,
Quis tibi pulchra fuat cernenti corpora ſenſus?
Quis tibi longa moræ affatu cum tædia ſolves?
Adde etiam, optatam detur ſi attingere ſponſam?

Oſcula

Oſcula purpureis dein figas blanda labellis?
Denique te quinta cùm parte beabit amoris,
Componens manibuſque manus, atque oribus ora?
At me vatem, IACOBE, vide: tua vota videbis
Quanta tibi ſpondes, & ſpe majora. Nec illi
Apta deeſt teneri compages corporis, ori
Nec roſeo Cypris non pulchrum afflavit honorem:
At ſi fas penitas mentis referare latebras,
Quas non virtutes, quos non hæc atria laudum
Indolis ingenuæ theſauros conſcia celant,
Magnorum eductam teſtantes arte parentum,
Et natam, & fotam, & factam ad faſtigia rerum?
Quid patris ingenium memorem? ſic omnibus æqua
Dicentis trutina leges, moremque probantis
Vitæ omnem populo: Majorum à more receſſum
Illius eſſe velint meritorum ut nomine, natum
Dum patre deſignant vivente videnteque tyrannum,
Ad patrium exemplar, patriæ qui flectat habenas.
Ecquid item Matris præconia proſequar? uni
Fœmineum ſecus omne omnes cui debet honores,
Fœmineis uni cunctis virtutibus aptæ.
Quid referam eximijs fratres, totidemque ſorores,
Laudibus inſignes, quà fas puerilibus annis?
Nempe omni ſeptem velut errant ſydera cœlo,
Illuſtrantque polum flammis: palantia terris
Viſum eſt, egregia Cimbrotum è ſtirpe, Tonanti
Lumina in humanam totidem diſpergere gentem.
Quattuor hinc Procetes meditare, ſtatumina regni
Queis curæ Regina parens, & Regia proles,
Conſilio lectis prudenti, ac pectore fido,
Imperij dum nondum Hæres maturus habenis.
Quam Reginam illis tibi rere parentibus ortam?

His Pupam assuetam Pueris? Monitoribus istis
Servatam assiduè? Si quid solertia nobis
Præsagit: quantis cumulatam Heroida laudum
Elogijs Atavo ante tuo dedit illa Maritam
Patria, vivacem post fata superstite fama:
Nunc eadem nuruum fœlix nutricia Tellus,
Stirps eadem Regum, & probitas justissima gentis,
Totque superque bonis te SEXTE beabit amantem
Non hic argenti in dotem memoramus acervos,
Non quæ Matris amor Patri parapherna superstes
Accumulat Natæ, gravidas non Virginis arcas
Pondere gemmarum, cultusve ardore superbos
Staminis aureoli, & peregrinum vestis honorem.
En tibi dotales casta cum conjuge Cimbros,
(Seu Danaum de stirpe Dinos fas dicere gentem)
Simplice gaudétes, fraudum absq; anfractib°, æquo:
Nec sibi censum astu, sed sedulitate parantes:
Perfidiæ exsortes, latè grassantis in Austrum,
Perdentisque solo populos, cœloque beatos.
Hæc tibi se figet socio gens fœdere, nullis
Quæ vicibus muret fortunæ, aut solvere nodum
Non ullo inducat mentem discrimine, nullo
Flectatur pretio; tibi quin præsentibus adsit
Consilijs, atque addat opes ubi tempora poscent.
Æmula nam id metuens laudis vicinia nostræ
Injecit remoras, & technas texuit, omnem
ut Proteus (solenne illi) mentita figuram:
Nec tamen usque dolis donisue inflectere fidum
Cauta genus potuit, majorum & more severum:
Congressu ut primo tibi vis invicta, tenacis
Spem fidei figat, certansque volubilis ævi
Invidiæ, natis ventura in secla supersit.

Dicta

Dicta dies igitur, populoque imposta volenti
Tempora, lætitiæ festivisque apta choreis,
Et Cereri, & Baccho, quibus & convivia curæ
Præterea Divis: thalamo tædaque jugali
Dum genialis Hymen curas componit Amantum,
Quo rerum haud tenuis fulcitur momine moles.
Conveniunt Proceres: simulatum lecta juventus,
Scotorum Regem producit ad atria Divum:
Reginam veneranda Parens, stipata frequenti
Pignore, (visendi studio ruit undique vulgus)
Magnatumque alijs, eadem ad delubra Deorum,
Passibus incedens æquis comitatur euntem.
Ore favent omnes, reddunt que silentia sacris
Debita: verba præit solenni carmine sanctus
Fœderis augusti Præsul: quem voce sequuntur
Ille tuus, tuaque ista magis: bona verba maritis
Quisquis adest dicunt, & amico murmure pacem
Ac veniam sacris venerantur Numina votis.
Excipit hinc reduces memorando Regia luxu,
Magnificisque epulis: famulorum examina lautas
Expediunt lances: nec quas conspexerit usquam,
Arcano aut voveat sibi quisque in pectore, mensis
Delicias desunt: peregrino cuncta paratu.
Cuncta exquisitis dapibus pretiosa renident.
Instructa ipse Pater spectans triclinia cœlo
Nectare & Ambrosia humanos miratur in usus:
Seque suosque Deos jam nunc mortalibus optet
Convivas: dederit nisi fido Numina Regis
Præsidio absentis, Venerem, Martemq; Minervaq;
Et quot opus reliquos: comitum quo tegmine nudos
Æquare humanas Divum nequit agmine pompas:
Hæc tanti Heroum cœtus convivia stipant.

Absque tui desiderio, Rex, ergo fuisset,
Cernere nunc Superos Tellutis regna tenentes,
Et vacuo mistos mortalibus esset Olympo:
Sancta quasi veteris redeant connubia sæcli, seu,
Cum data Nympha maris nuptũ est tibi maxime Pe-
Vt satis indultum est epulis, mensæque remotæ,
Optima te Socrus, tua te carissima Conjux,
Te Proceres memori Sponsum sermone requirunt,
Vina tuæ pateris libantes larga saluti.
Quoq; nihil vidit magè gratum hæc pompa, parẽtis
Regni hæres monitu, & procerum plaudente corona
Subnixus pedibus summis, perque atria vocem
Prorumpens, lævum & cubitum curvatus in ansam,
Plena mero valida tollit carchesia dextra:
Et lætum Cimbrisque diem, Scotisque precatus,
Hoc Rex absentem te posco IACOBE culullo,
Infit, Mercuriumque tuum: simul impiger haurit,
Nullo interr repetens animum spiramine, florem
Lenæi, victorque cavo jam exultat in auro,
Perque omnem crepitans auditur cottabus aulam.
Atque verecundo generosum Heroa salutans
Ore Mareschallus, fratri hac concedere fratrem,
Hac vinci a sociis nostros virtute fatetur:
(Sobrietas illa usque solens tibi Scotia prosit)
Et summo cyathos abstemius ore pitissans,
Signifero fulvi, majorum à stirpe, leonis,
Et virtute sua, Scrimgero hæc munera mandat.
Viribus hic pollens proceræ molis, & artes,
Quas prius imbiberat peragrans hæc regna, bibendi
Nondum adeò oblitus, O si quot gutturis alti
Gurgite (ait) guttas, nullo spiramine, mergam.
Spumantis vini, ait vivi quot sanguinis idem

Prodigere

Prodigere expediam Domino pro sospite, ditent
Fata Viri vitam totidem felicter annis,
Aut nostra illius commutent morte salutem.
Nec mora, sublimi facie, & cervice supina,
Ingentem excipiens Bacchum, quid possit, & ipsi
Quàm cupiat Regi, vertendo pocula prodit
Siccata in vultus: & adhuc certamina vini
Integer instaurat; sint huic si præmia laudi.
Sed lubet hunc Procerum sanis cohibere furorem,
Brachiaque alternis nectentes, fœdera pangunt
Séper-amicitiæ. Quanquá hic neque terminus hęret
Bacchanti populo, patrum qui more, bibaci
Indulget genio, vinumque in viscera condit;
ut vacuam totó credas latitare lagenam
Corpore, vel cœcas laticem diffundere flammas.
Et pretium est operæ siceis, obscœna madentum
Corpora, femineceſque artus, atque ora tueri
Fervida temeto, & redolentia guttura pastum,
Ructantesque animam fauces, ac sæpè saburram
Omnibus excretam rimis, & cętera probra
Se quibus ebrietas informi ulciscitur ira.
Talia maturique senes spectacula captant,
Fœmineusque pudor, puerique hæc monstra parętú
Exosi monitu: fugitent immania fœdo
Crimina ut exemplo, discantque incommoda vini.
Præcipiti fessis, post longos luce labores,
Iam noctu obrepit somnus; comitante suorum
Agmine cognato, Regalibus aurea Conjux
Succedit thalamis: & solo Nuncius illic
Regius attactu simulans genialia noctis
Gaudia, sollicitam absentis componere curam,
Et memoris meminisse jubet: nec amoribus angi,

Lætitiam que breui solidam sperate morando.
Illa Virum ingeminans votis, hac larga fatetur
Fata tenus: quòd mane thoro, sine conjuge Virgo,
Nata quidem Regis, digressa, huc vespere Virgo
Nupta redit Regi, mox & sine Virgine Mater
Audiet (annuite hoc superi) celeberrima Regis,
Filia, Nupta, Parens Regis, mortale quid ultrà
Mente animi voveat? quæ supplex voce fatiget,
Si sua jam teneat juratum in verba, Tonantem?
Omnibus hinc thalamo egressis, unum illa Mariti
(Excipio Divos) sub pectore volvit amorem:
Inque virum somnis, eundem insomnisque requirit,
Quis tibi nunc IACOBE modus? quæ flâma me-
Interea exurit? niveæ si corpora tædæ (dullas
Conjugis admota cernas pectora cubili,
Non orbis contrà imperio, non Nestoris annis,
unius hic mutes cum Conjuge gaudia noctis.
Sed cupidis moderare animis, Regalia pulchro
Instruo tecta thoro: veniet pars altera lecti,
Pars (inquam) illa tui veniet, qua sospite lætam,
Quaq; putes læsa tibi lethi in limine vitam.

Luce nova cæcas nam posiquâ aurora tenebras
Dispulit ignavæ noctis, Natæ optima Mater
Surgenti haud segnem Princeps dedit ore salutem,
Sed salubus tinctam, sed jurgia blanda cientem:
unam omni in vita quod noctem ex more venustâ,
Absque Viri Veneriscue usu Virgo egerit uxor.
Illa nihil contrà, neque ludos mente moratur
Sed Scotorum animo, Scotorum voce volutat
Regna, suæ curę pacto desponsa jugali,
Iam nec amor Patriæ, pia nec Genitricis imago,
Gratia nec Fratrum, neq; nomina sancta Sorores

Nec

Nec quę alia impediunt vulgò tot tintacula sponsas,
Prensami obsistunt huic nostræ exotica Regnæ.
Nunc maria & ventos loquitur, cur vasque carinas,
Et glacie prætentum iri navalia nolit:
Nunc metuit sævas hybernis mensibus undas,
Ni properent puppes: metuit ne lenta Mariti
Spem fallat, pelagi assiduè speculantis ad undas.
Purpureusque pudor quæ multa intercipit ori,
Pectore versat amans: sed curas fronte serenat,
Publica mœrore unius ne gaudia turbent.
Iamque epulas inter, speciosaq; ludicra, festi
Effluxere dies: cum, vastis classe palangis
Deducta in pelagus, patriæ Regina pararet
Et Matri salve atque vale, tristique suorum
Ipsa hilaris turbæ: conclamant vasa, laboriq;
Accingunt comites, armantque onerantq; carinas.
Ergo premēs Genitrix prensansq; amplissima dextrā
Natæ urgentis iter. Quando augustissima nostræ
Gloria prolis, ait, jam angusto limite claudi
Non ferat antiquę Patriæ & natalibus arvis,
Complexura omnem imperio (sic omino) orbem?
Et tibi cessit honos thalami, quo insignior alter
Haud potuit, si Diva regas rerum omnia nutu.
ut primùm optatas hospes deveneris urbes,
Nec formam ostenta, nec opes: virtutibus auctam
Autumet adpulsu, & porro lætissima speret
Scotia terra tuo. Comitumque ante omnia mores
Et studia expende: infami ne labe laboret
Gens tua vicinis, peccandique audiat auctor.
Grata quidem nostris, sed turpe trahentia probrum,
Et foscunda malis, certamina fœda Lyæi,
Ingluviemque gulę Regalibus exige tectis:

Quo parat obsequio jam nunc lasciva juventus
Se tibi ut insinuet, venienti obtrudere palpum.
Hosq; aliosque sagax, nascentia crimina blando,
Effuge palpones, qui assensu & voce propagant,
Inque facem gaudent vitiorum animare favillas:
Hac specie in Dominos fidei larvaq; latentes,
ut populi quavis clade, exitioque Regentum,
Rem faciant lautam & larga potiantur opum vi.
Delicias luxumque cave, certissima Regni
Pauperis exscidia, & famulorum ergastula tergo
Sit tibi vile tuo quasi pompam hærere sequacem.
(O numerũ, ô ventres, geminũvô Pharacibus agmen
Penelopes pubem, & resides corporis alumnos,
Harpyiasque habiles alienum haurire laborem.)
Nec tibi præ reliquis lauto convivia sumtu
Quærere, & induvias bombyce auroque superbas
Sit gestare decus: nec in aulæ, effundere fiscum,
Desidis assecla. Qua postquam exhausta Charybdi
Deficiant (miserùm) securi ærraria Regis:
unde illi in pacis mores, aut militis usum,
Vicini quatiant si quando, nomismata, Martem?
Fas nec enim miseram nullo discrimine plebem
Compilare Duci, barathrique voragine mersit
Cùm sua diffusus, populum torquere tributo.
Nunquam adeò ereptos numos, & pectus amicum
Cui rapimus numos, loculis componimus unis,
Læsa licet plebes nocituras differat iras.
Adde, quòd exemplo lasciviat æmula Regum
Colluvies semper minitantis in ardua vulgi:
Nec pede se moduloque suo dimensa, profuso
Luxu evadat iners & inops: ut pendere jussum
Vectigal nequeat, vel obire pericula belli.

Crimina

Crimina quid memorem, quorũ velut agmine facto
Turba procax dociles pravi circum silit aulas,
Fontis & hoc vitio populum dimanat in omnem?
Ista piare putes, atque è re plectere nata,
Gnata tuum: & populi quò se proclivius urget
Pectus, eò atroces scelerum contendere pœnas.
Verùm auctore tamẽ atq; auspice cuncta Marito,
Fas tibi moliri: reliquos, sine cujus, in annos
Nulla salute salus Nuptæ, sine cujus honore
Nullus honos: cujus læsa tibi vivere vita
Mortis habe numero, totamque illius ad usum
Et mores, nisi quid peccet, compone sequendo.
Olim si majora tamen spe regna paternis
Præcipiens, fiscum, neque re cogente, profundat
Munificus: dein plebis opes ratus esse Regentum
Arbitrio expostas, populum gravet ære, laborum
Assiduis parto vicibus. Si crimine fontes
Plus nimio mansues solvat, novus unde nocendi
Succrescat furor, & latè contagio serpat
Exempli immanes aditum fiernentis ad ausus.
Idque genus maculas, tua quæ solertia, sceptri
Si vitiare vides splendorem: exordia fandi
Et molles aditus, & amoris tempora serva,
Amplexuque fove cunctantem, atque oscula fige:
Cæterã si quid avet, pugna, nisi compote voti
Non te posse frui: pondus modò quæstibus adsit,
usurum dictis facili, factisque secunda.
Cumque tenes dextræ vinctum fideique catenis,
Vota cave & questus aliò quam in commoda vertas
Principis & populi, tantum prætendat honesti
Ipse faces prior, ad legum limatus amussim,
Grex Ducis exemplo virtutum signa sequetur:

Nempe labãte Aula, plebem pessum ire sequacem?
Stante Aula, recto plebem consistere talo.
Sed tibi quod primũ, mihi verba novissima promũ,
Summa tenax memori mandata ut pectore figas.
Ante omnes Aulæ pestes, procul usque profanum
Pelle inimica genus, & ritu quotquot adorant
Mendaci Superos. Cultu qui Numina fallax
Frustratur merito, nunquam ille in Principe fidus.
Sacrilegoque aris populata pecunia raptu,
Vindice te sanctos asserta remigret in usus.
Exemploque Laris pietas Regalis in omnes
Regni oras manet: pudor & formido feroces
ut premat injectis Proceres vulgumque lupatis.
Hos inter monitus, meditanté & pluria Matrem
Euri interpellat stridor, similisque vocanti
Oram urget Pelagus: prætentæ littore puppes
Ingenti excipiunt utero, umbrosisque cavernis
Agmina vectorum: circùm celeresque fasceli,
Et lembi apparent agiles, ut jussa capessant
Excelsæ classis, sternant ad littora pontem,
Fluctibus expediant funes, imoque revellant
Impactos fundo cœnosi gurgitis uncos,
Inde recepturi assuetam se matris in alvum.
Horum unus, dedit ut signum Prætoria puppis,
Remorum accelerans pedibus, quos tollit in auras,
Et pelago premit ad numerum, tenet ocyus oram
Ferventem populis. ubi cincta Herois amico
Agmine, nunc illos, nunc hos, aut voce salutat,
Aut molli gemitu, aut oculis rorantibus imbrem,
Aut manuum attactu: sed Fratribus oscula libat,
Oscula dat Matri, turbæ oscula blanda Sororum,
Extremis Patriæ dat finibus oscula: Cœlumque

Adspiciens

Adſpiciens, ſibi multa Deos, & multa precatur
Fauſta ſuis: ut ſi nunquam viſura recedat
Iam patriam antiquã, & memores abeuntis amicos,
Saltem ultrò citróque means, fœliciter illis
Nuncius eſſe ferat: rumore utrinque ſecundo,
Et miſſis crebrò tabulis, & munere multo,
Hinc illinc ſtet amor, qui in ſecula ſera perennet.
His dictis, ſtrata excipitur pontonis in alvo
Molliculis ſubter plumis, textoque ſuperne
Purpureo, & digna Regali corpore ſponda.
Diſtrahit hic animi ancipitem ſententia turbam,
Rumoreſque ciet varios: dum littore planctus
Mœrentum auditur, formoſáque Virginis ora
Voce requirentum, tumulos quaſi fata rogoſque
Iam propiùs, quàm Regna illi thalamoſq. pararent.
At claſſe exoritur diverſus in æthera clamor,
Ante alios ſibi fœlices dum pignore tanto,
Depoſitique fide apparent: Naviſque ſuperbæ
In ſolium accipiunt ſcalis pendentibus altum
Reginam ingentem: mortali corpore majus
Sentit onus tremula, & nutat ſub pondere puppis.
Littore jam toto Lenæi munera libat,
Spem vultu ſimulans, & fauſtis omina votis
Concipiens vulgus: neque vinum in claſſe viciſſim,
Roranteſque ſcyphi ceſſant, it clamor in auras
Ingeminantum Evan; generoſum nectar in undas
Porricitur, paterçque natant in gurgite ſummo.
Indè mari & terra ingentem dat multa ſonorem
Machina, ſulphureos viſendæ molis aheno
Eructans procul ore globos, fumumque fragori
Et flammam admiſcens: vaſto ſtridentia ponto
Pondera diſpergunt undas: Cœlum omne remugit

Et concussa tremit Tellus, & littora rauco
Transmissos pelago ingeminant reboantia bombos.
Ac patitur Pater ipse animo vix Iuppiter æquo
Æmula tela suis, simulatum fulminis ignem,
Mendacisq. metum tonitrus: Salmonea quondam
Qualia molitum tenebrosas torsit ad umbras.
Sed neque mortales strepitum, neq; Numina Divũ
Sancta lacessentem ut vidit; nihil ergo moratus,
Rem fratri esse jubet curæ, qui immania ponti
Stagna tenet, nequis scopulus, ne qua obsit arena,
Ne tumidi noceant fluctus, ne littus iniquum,
Nausea ne stomachum irritet, ne nautea nares,
Cum Dijs quæ pelago se credidit, Heroines.
Neptunus placidum straro caput æquore tollens,
Inter aquam sylvæ qui nantis robora nuper
Extimuit, quem vis Vulcania murmure multo
Perculit attonitum (Terræ rediviva Gigantes
Pignora ne injiciant, quia spes male provida lusit
In cœlum armatos, captivo brachia ponto),
Auctoris magni monitu, procul ire procellas,
Infestasque hyemes, liquidisque excedere regnis
Ventorum rabiem, & nimbosos imperat imbres:
ut teneat cursu optatos Regina secundo
Per pelagum portus: famulo Nereidas usu
Accingi jubet, & quotquot se Numina in altum
Abdiderunt, gelida æternum rorantia lympha:
Circum adigit pandas certatim errare carinas
Squamigerum, genus omne, pecus, quos pedula tol-
Linea mordentes ferrum fallace sub esca. lat
Hæc simul edixit vastum cava concha per æquor
Tritonis, citius dicto mandata capessunt
Dijmaris, & Nymphæ, & vitreo sub gurgite pisces:

Miranturque

Mirantúrque novos non una Heroas in Argo:
Et Venerem ponto reducem, ſed turribus altis
Proconcha vectam, nec ſolo crine decoram,
Sed gemmis, autiqúe auro, vultuque venuſto
Conſpicuam: in lymphæ ſpeculo vel imagine ſola
Quæ genus oblectet nantum, cujuſque ſepultos,
Non melius morituri aliàs, ſe viſcere vellent.
Illa viciſſim agiles Protei paſtoris alumnos
Deſpiciens tremulis criſpantes marmora pinnis,
Læta dapes ſibi deſignat quas efferat hamis,
Et face ſubjecta ferventi mandet aheno,
Digna legens mulier magnis ſpectacula Divis.
Labitur admiſſis confertim claſſis habenis
Interea, æquatoſque pedes pater Æolus implet
Flamine fœlici. Puppes per cærula certant
Ludentes curſu, fugiuntque, fugantque viciſſim,
Velorumque addunt remorum crutibus alas.
Perque ſalum ſimulant navalis prælia belli,
Quo metuenda urgét ſclopporum incédia gládes?
Et tormenta hoſti majora molaribus inſtant,
Donec adhuc abſunt: mox dente harpago tenaci
Componens propius coſtas, vicina laceſſit
Vulnera, cùm pubes rutilantibus emicat armis,
Hæret peſque pedi, & pugnat per tranſtra viro vir.
Sic luſu oſtentant, ecquid certamine poſſint
Serio, & infeſtum quo ardore ferantur in hoſtem.
Fallentem has inter pelagi faſtidia pugnas
Prodi, & ſubmiſſis jam Scotia faſcibus, omni
Cernua proſequere officio, & complectere Divam
Quæ tibi cũ pulchro pulcherrima Principe regnet,
Inſtauretque genus trepidè nitentis in uno
Nutantiſque domus: proles vt poſtera ſurgat,

Et concussa tremit Tellus, & littora rauco
Transmissos pelago ingeminant reboantia bombos;
Ac patitur Pater ipse animo vix Iuppiter æquo
Æmula tela suis, simulatum fulminis ignem,
Mendacisq. metum tonitrus: Salmonea quondam
Qualia molitum tenebrosas torsit ad umbras.
Sed neque mortales strepitum, neq; Numina Diuũ
Sancta lacessentem ut vidit; nihil ergo moratus,
Rem fratri esse jubet curæ, qui immania ponti
Stagna tenet, nequis scopulus, ne qua obsit arena,
Ne tumidi noceant fluctus, ne littus iniquum,
Nausea ne stomachum irritet, ne nautea nares,
Cum Dijs quæ pelago se credidit, Heroines.
Neptunus placidum strato caput æquore tollens,
Inter aquam sylvæ qui nantis robora nuper
Extimuit, quem vis Vulcania murmure multo
Perculit attonitum (Terræ rediviva Gigantes
Pignora ne injiciant, quia spes male provida lusit
In cœlum armatos, captivo brachia ponto),
Auctoris magni monitu, procul ire procellas,
Infestasque hyemes, liquidisque excedere regnis
Ventorum rabiem, & nimbosos imperat imbres:
ut teneat cursu optatos Regina secundo
Per pelagum portus: famulo Nereidas usu
Accingi jubet, & quotquot se Numina in altum
Abdiderunt, gelida æternum torrentia lympha:
Circum adigit pandas certatim errare carinas
Squamigerum, genus omne, pecus, quos pẽdula tol-
Linea mordentes ferrum fallace sub esca. (lat
Hæc simul edixit vastum cava concha per æquor
Tritonis, citius dicto mandata capessunt
Dij maris, & Nymphæ, & vitreo sub gurgite pisces:
Miranturque

Mirantúrque novos non una Heroas in Argo:
Et Venerem ponto reducem, sed turribus altis
Proconcha vectam, nec solo crine decoram,
Sed gemmis, auríque aura, vultúque venusto
Conspicuam: in lymphæ speculo vel imagine sola
Quæ genus oblectet nantum, cujusque sepultos,
Non melius morituri aliàs, se viscere vellent.
Illa vicissim agiles Protei pastoris alumnos
Despiciens tremulis crispantes marmora pinnis,
Læta dapes sibi designat quas efferat hamis,
Et face subjecta ferventi mandet aheno,
Digna legens mulier magnis spectacula Divis.
Labitur admissis confertim classis habenis
[illegible], æquatosque pedes pater Æolus implet
[illegible]elici. Puppes per cærula certant
[illegible]rsu, fugiuntque, fugantque vicissim,
[illegible]ddunt remorum crutibus alas.
[illegible] simulant navalis prælia belli,
[illegible]da urgèt sclopporum incèdia glades?
[illegible]osti majora molaribus instant,
[illegible]c absunt: mox dente harpago tenaci
[illegible]as propius costas, vicina lacessit
[illegible], cùm pubes rutilantibus emicat armis,
[illegible]ret pesque pedi, & pugnat per transtra viro vir.
Sic lusu ostentant, ecquid certamine possint
Serio, & infestum quo ardore ferantur in hostem.
Fallentem has inter pelagi fastidia pugnas
Prodi, & submissis jam Scotia fascibus, omni
Cernua prosequere officio, & complectere Divam:
Quæ tibi cũ pulchro pulcherrima Principe regnet,
Instauretque genus trepidè nitentis in uno
Nutantisque domus: proles vt postera surgat,

Gestura, & patriam ad natos missura triarum,
Sed quamvis latè fines properabitis ambo
Imperii, generose Puer, generosaque Virgo,
Porrigere, exiguo Scotorum fine frementes
Pectora tanta premi: voto differte capacis
Indulgere animi, neque vi, neque fraude parantes
Sceptra urgere, suo vobis quæ tempore cedent.
Discite regnare, & paulatim crescite in annos,
Inque animos artusque ambo. Si in limine rerum
Fortunáque datis tenui, dum messis in herba est,
Grande rudimentum, & solidæ præludia laudis,
Iura ut conjurent meritis, & sublica legum
Suppeditet virtus: sine pugna & pulvere, supplex
Sponte sua in vestras veniet vicinia leges,
Regnarique volet vobis latè exterus orbis:
Tanti est vi solidæ niti ad sublimia laudis.
Sin tyrocinio, turpique in limine lapsu,
Officitis famæ, tenebrasque offunditis igni,
Iam nova Cymmerio spondenti lumina mundo:
(Quod Superi avertát vobis procul omen in hostes)
Majore in regno rerum par esse potiri
Quis putet aurigas aulæ mediocris inertes?
Ius regni, meritis nisi nixum, aut robore, nutat.
Sed quid ego hęc vestris nequicquá indigna revol
Ingeniis anceps augur? quibus omine firmo (vo
Dij terræ ac pelagi rerum hæc primordia pangunt.
Quo nimirum anno tot Christi, aut æquoris irâ,
Disperiere hostes, aut proditione suorum;
Exsultatque novis Ecclesia clara trophęis,
ANNA thori optatos & sceptri orditur honores.
Mense autem, Erigone quo plenos hospita Solem
Excipit urgentem autumnos, & frugibus hornis

Horrea

Horrea ſtipantem: fœlix à Virgine Virgo
ANNA thori optatos & ſceptri orditur honores.
Dumq; favens pelagi adſpirat ſic navibus æquor,
Sic facilis auræ, & facies mitiſſima Cœli,
Naturam rerum unius mortalis ut ergo
Miremur ſolennem orbi migraſſe tenorem,
ANNA thori optatos & ſceptri orditur honores.
Et cum flava Ceres gravidas tot frugis ariſtas
Demetit, ac pleno plebi ſe copia cornu
Omnibus oſtentans ita latè exuberat arvis,
ut longa huic ſimilem Scotis vix ſecula meſſem
Protulerint, ſecla huic ſimilem vix poſtera ſperent,
ANNA thori optatos & ſceptri orditur honores.
Sed procul oſtentat jam optatam carbaſa claſſem
Littoribus, procul & produnt ſe littora claſſi.
Iam tormenta parant horrendum utrinque fragorem,
Ereptura orbi flamma & caligine cœlum.
urbs, convulſa ſui nido tanquam undique ſaxi,
Regia ſpectantum portis vomit omnibus undam.
Et pueri erumpunt, multa & cum virgine matres,
Canicieſque verenda ſenum, laſciva que pubes:
Ad penſum ancillas cohibent neq; clauſtra, nec acti
Imperio matrona minax: ſed & ipſa fugaces,
Tarda licet ſenio, ſequitur, viſiſque renidet
Cimbrorum & noſtris tot vaſto in gurgite velis.
Prætentis hominum latè quot millibus, omnis
Ora tuos avido vultus exſpectet hiatu
Hic Regina vides: populi neque pectora neſcis
Quanta voluptatum te Principe gaudia ſperent.
Tuquè oculis adeò è puppi vigilantibus hauris
Littore lætitiam, quam Regni opulentia ſpondet,
Quam tibi votus Hymē, pietas quá obnoxia gentis.

IACOBI R. S. & ANNÆ F. F. &c.

Da Deus alme hilari constantem à carcere campū,
Et calcem insigni quæ cœpta coronide claudat,
Vos modò materiam vati, virtutibus auctis,
Sufficite, in-luces, lituoque merentia laudum
Edite gesta cani, & crescentibus addite fastis:
Nosque augur vana nisi Phœbus imagine ludit,
Nomina vestra olim lethæo evicta veterno
Canicies memoris, me vate, fatebitur ævi.

FINIS.